

lis, aut natura illius strictissimo jure debita, errorem sapere patentiſſimum, in Michaele Bajo praedamnatum. Atqui, si harum propositionum inter se connexionem diligenter expendimus, dubitari non potest, quin locutus fuerit Quesnellus de proportione physica. In prima superius expensa propositione praetendit, gratiam Adami fuisse sequelam creationis, debitam naturae sane & integræ. Porro nihil potest exigere natura quæcumque, tamquam sibi debitum, ac veluti sequelam suae creationis, nisi ei sit proportionatum physice; ut ex terminis constat. Igitur dum in hac propositione adstruit proportionem, naturam Adami inter & gratiam, patet eum loqui de proportione physica. Hoc si praedamnatum est in Bajo; uti est in confesso; jam tenemus quid distincte in ea propositione 37. damnaverit Clemens XI. nec erat super hoc ultra vitiligandum. Sed non dixit Quesnellus gratiam Adamo fuisse strictissimo jure debitam. (1) Nec hoc dixit Bajus, & tamen justissime damnatus est: quidni ergo justissime sit damnatus Quesnellus, qui, ut ad primam dicebamus, Bajum ipsum audacia superavit? (2) Hic dixerat non esse indebitam, ille debitam.

XXVIII. Nunc, si malimus propositionem illam intelligere de gratia actuali, non erit ejus sensus obvius, quem propinat Theologia Supplex dicens: (3) At si de proportione quadam morali accipiat, adeo ut constituta antithesis sensus sit, gratiam Adamo datam, utpote sano & integro, minoris efficaciae virtutisque fuisse, quam quae nobis infirmis & lapsis, in Christo datur, atque per Christum, Augustini probatissima sententia est lib. de corrept. & grat. Capp. 10. 11. & 12. gratiam Christi Domini POTENTIOREM IN NOBIS seipius appellantis, quam quae fuerit Protoparenti collata. Cedo, an hic est sensus obvius & naturalis hujus propositionis? Antithesim instituit Quesnellus in voce proportionata, gratiam itatus innocentiae inter, & nostram. Primam vult proportionatam Adamo, nostram Deo dignam, non nobis proportionatam, sed omnipotentiae divinae. At si sic intelligitur, ut Auctor ille praetendit, nullam video antithesim: sicut enim gratia minoris efficaciae virtutisque, proportionata est homini sano & integro; ita gratia potentior infirmo, & debili. Ubi ergo antithesis, quam tamen ille agnoscit? Nullibi comparet, nisi dicamus, gratiam, juxta Quesnellum, fuisse proportionatam Adamo innocenti: quia aliud erat nihil praeterquam concursus naturalis Dei, cum voluntate Adami; sequela creationis, debita Adamo. Nostra vero gratia est omnipotens. Imo, non est aliud quam voluntas Omnipotentis Dei, juberis & facientis quod jubet. Et prop. XI. Nihil aliud est, quam ejus (Dei) omnipotens voluntas. Est prop. 19. Quam nihil impedire potest aut retardare. Prop. 10. Quam quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur. Prop. 12. cui nulla voluntas resistit. Est 13. Quae semper affert fructum suum. Est 18. sicque saltat Quesnellus de uno extremo ad aliud, de gratia Pelagiana, ad Bajanam & Lutheranam, non attingendo medium. Quin & superaddit erroribus Baii & Lutheri, gratiam esse aliquid nobis pure extrinsecum, uti ex dictis constat. Hic illius propositionis sensus non ex digito, ut ajunt, sed ex ipsius Quesnelli verbis extractus est: huc ei non affricco; ex ipsis ejus propositionibus habetur. Sic nullus erit color cur eum calumniis gravari quis queratur, cum ex verbis ipsius sensus depromitur.

XXIX. Addendum propositionem hanc non

(1) Theol. Suppl. p. 161. (2) Pag. 79. (3) Pag. 162. (4) Vide s. 3. num. 17. (5) In cap. 3. Genel. (6) Libr. 1. init. cap. 15. num. 8. Edit. Amstel. 1667. (7) Quæst. 244. de vent. art. 12. (8) L. 3. de grat. Chr. c. 21.

obiter, ut vult Theologia Supplex, de gratia Sanctificante agere, sed ex professo, ut colligitur ex geminatione verbi Sanctificante; simul tamen agit de gratia operationis: quia non aliam sanctificationis gratiam, quam operum justitiam agnoscit, juxta 42. Bajanam: Justitia consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia: sicque iterum rejicit, uti alias dictum est, gratiam cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffusam, nobisque inharentem; quod sub anathemate veterat Tridentinum Sess. 6. Can. XI. (4) quo Canone variae assertiones, nominatim, quæ afferit, gratiam qua justificamur, esse tantum favorem Dei: loco cujus Quesnellus voluntatem posuit, perstringuntur. Tantillane diversitas eum a fulmine isto tutum reddidit? Minime: æque extrinseca est nobis Dei voluntas, omnipotentia &c. ac favor.

REFLEXIO PRIMA.

XXX. Circa primorum Parentum in statu innocentiae dona, non soli Bajus, atque Quesnellus, sed Lutherus quoque ac Calvinus errasse deprehenduntur. (5) Lutherus enim, Statuimus, inquit, justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatam a natura hominis, sed fuisse vere naturalem: ut natura Ade esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum; Haec tam naturalia fuisse in Adamo, quam naturale est quod oculi lumen recipiant. Et postea: Porro haec probant, originalem justitiam esse de natura hominis: ea autem per peccatum amissa, non mansisse integra naturalia, ut Scholastici delirant. Idem docuit Calvinus. (6) Ergo animam hominis Deus mente instruxit, qua bonum a malo, justum ab injusto discerneret: ac quid sequendum vel fugiendum sit, praecunte rationis luce videret. Unde partem hanc directivam ut quædam dixerunt Philosophi. Huic adjunxit voluntatem, penes quam est electio. His praclaris dotibus excellit prima hominis conditio, ut ratio, intelligentia, prudentia, judicium non modo ad terrena vite gubernationem suppeterent, sed quibus trascenderent usque ad Deum & æternam felicitatem.

XXXI. Nec soli illi, sed Pelagius quoque dona naturalia, utpote gratis, nullis praecedentibus meritis collata, gratiam vocavit, ut omnibus notum est. Inde autem ad contrarios errores: quod & alias factum esse S. Thomas observavit; (7) processum est. Nam Pelagius, considerans per peccatum Adami potentias naturales hominis non esse destructas, intulit, in hoc statu, ad implenda Dei praecepta, necessarium aliud esse nihil, praeter liberum arbitrium; id est gratiam creationis. Lutherus vero advertens, periisse per Adami peccatum justitiam originalem, intulit, non mansisse integra naturalia, ut Scholastici, iniquiebat, delirant: sed periisse liberum arbitrium. Cumque per baptismum non restitueretur justitia originalis; etiam in regeneratis (nisi ad opera civilia) liberum esse arbitrium negavit: ex quo ulterius intulit non esse in potestate hominis vias suas bonas aut malas facere &c.

XXXII. Mirum profecto, quod Bajus ac Quesnellus doctrinam illam haereticorum, fecerint sibi communem! Sed sefellit ipsos, uti & Janenium, vulgare illud: (8) Non omnia quæ haereticis docent haeretica sunt: quod, tamen negare nolumus; immo libens fatear verum esse: cum haereticorum una fraus sit, miscere falsis vera dogmatibus, quo facilius incautos fallant; at tamen existimo

stimo omnino abstinendum esse ab iis haereticorum assertionibus, e quibus, veluti quibusdam principiis a se noviter inventis, errores suos & haereses deduxerunt. Quippe error aut haeresis, aut nulla salitas, uti dialectici tradunt, ex vero principio nusquam sequi legitime possunt: ut ex hoc solo assertio quæcumque nova; quamquam in se considerata, non manifeste appareret falsa; vitanda sit, vel suspecta saltem esse debeat, si alicui fuerit errandi principium: praesertim si a communi Theologorum etiam Scholasticorum doctrina recedat.

XXXIII. Tale est dogma negans Adamo in statu innocentiae, dona aliqua vere supernaturalia collata fuisse. Illud primum, quod sciam, post exortam scholam, contra communem scholasticorum opinionem, invenit Lutherus; indeque jam dictas, deduxit haereticas conclusiones. An inde quoque Quesnellus incoeperit, an potius illud avidè arripuerit, tamquam erroribus praconceptis accommodatum, haud facile dictu est, nec operæ pretium curiosius indagare. Utinam consulisset Scholasticorum principem S. Thomam! (1) facile est iis quæ ibi legere poterat conclusisset, gratiam, in qua Adamo creatum fuisse Augustinus sæpissime fateatur, non secus ac illam quæ nobis infunditur, donum quoddam fuisse omnino supernaturalia. Ita enim dicitur Angelicus: (2) In eo qui dicitur gratiam Dei habere, significatur esse quidem effectus gratia Dei voluntatis. Dictum est autem supra quod dupliciter ex gratia Dei voluntate homo adjuvatur. (3) Uno modo, in quantum anima hominis moveatur a Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum: & hoc modo ipse gratuitus effectus in homine, non est qualitas sed motus, ut dicitur in Phys. Alio modo adjuvatur homo ex gratia Dei voluntate, secundum quod aliquid habituale donum a Deo anime infunditur: & hoc ideo (Nota bene) quia non est conveniens, quod Deus minus provideat his, quas diligit ad supernaturale bonum habendum (prout non solum nos, sed Adamum quoque diligebat) quam creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas, & virtutes quasdam, quæ sunt principia actuum, ut secundum se ipsas inclinentur ad hujusmodi motus. Et sic motus quibus a Deo moventur, sunt creaturis conaturales & faciles; secundum illud Sap. 8. Et disponit omnia suaviter. MULTO IGITUR MAJUS illos quos moveat ad consequendum bonum supernaturalia æternum (prout haud dubie movebat Adamum, ut nos) infundit aliquas formas, seu qualitates supernaturales; secundum quas suaviter & prompte ab ipso moventur ad bonum æternum consequendum. Hæc Angelicus.

XXXIV. Ne vero suspicemur aliquis huic ratiocinationi satisfacere posse, dicendo: Adamo infusus ac concretas fuisse virtutes naturales; nihil tamen supernaturale; occurrit rursus (4) S. Thomas ostendens gratiam, id est, donum quoddam supernaturalia necessarium esse, ut homo vitam æternam mereri valeat. Si loquamur, inquit, de homine quoad primum statum (in quo Adam conditus fuerat) sic una ratione non potest homo moveri absque gratia vitam æternam, per PURA NATURALIA: quia scilicet meritum hominis dependet ex preordinatione divina. Actus autem cujuscumque rei non ordinatur divinitus ad aliquid excedens proportionem virtutis, quæ est principium actus: hoc enim est ex institutione divina provi-

dentia, ut nihil agat ultra suam virtutem: Vita autem æterna, est quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ; quia etiam excedit cognitionem & desiderium ejus; secundum illud 1. ad Cor. 2. Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit &c. Et inde est, quod nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorii vitæ æternæ, nisi superaddatur aliquod SUPER-NATURALE donum, quod gratia dicitur. Si vero loquamur de homine sub peccato existente, additur cum hoc secunda ratio, propter impedimentum peccati.

XXXV. Sed Scholasticos cum suo Principe, ejusque, etsi solidissimas, ratiocinationes longe amandant Quesnellistæ? Verum non eis hæc scribimus; sed morigeris S. Romanæ Ecclesiæ filiis: quibus cum jam notum sit, ex Baii ac Quesnelli damnatione, Adamum in statu innocentiae, supernaturalibus quibusdam donis ac gratiis fuisse ornatum, expedit etiam scire rationem, cur id ita fieri oportuit. Ut enim Angelice, id est, more suo Aquinas nosser discurret: (5) Quædam disputatio ordinatur ad removendum dubitationem, an ita sit: & in tali disputatione Theologica maxime utendum est auctoritatibus, quas recipimus illi cum quibus disputatur. 3. Quædam vero disputatio est magistralis in scholis, non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis, quam intendit; & tunc oportet rationibus inveni investigantibus veritatis radicem, & facientibus scire, quomodo sit verum quod dicitur: alioquin si nudis auctoritatibus magister questionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita est; sed nihil scientie vel intellectus acquirere, & vacuum abscedet. (6) Una quoque dicitur confirmatum esse, tristi Janenii ac Quesnelli casu, gravissimum nostri Illustrissimi Cano effectum: Connexi sunt, ac fuisse semper, post natam scholam, scholæ contemptio, & haeresum pestes.

C A P U T I V.

De voluntate salutis omnium; deque Christi morte pro omnibus appetita.

§. I.

Propositiones Quesnellianæ, censura notatæ.

Omnes quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter. Est 30. Quesnell. Joan. 6. v. 40.

Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei. Est 12. Quesnell. Mar. 2. v. 11.

Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manus, nulla voluntas ei resistit. Est 13. Quesnell. Luc. 5. v. 13.

I. Puncta duo Theologica hîcæ propositionibus attinguntur: unum de voluntate Dei salvandi omnes homines; alterum de efficacia gratiæ. Quod secundum spectat, cum plures aliæ propositiones idem tangant punctum; quod de his dicitur, de illis quoque dicuntur puta. Hic solum primum attingemus: voluntatem dico salvandi omnes homines. Manifestum est autem ex his propositionibus sequi, Deum non velle salutem reproborum: quippe, si Deo volente salvare homines, hi infallibiliter salvantur, reprobi salvan-

(1) 1. 2. qu. 110. art. 1. & 2. (2) Loc. cit. art. 2. (3) 1. 2. qu. 109. art. 1. (4) 1. 2. qu. 114. art. 2. (5) Quodl. 4. art. 18. (6) Lib. 8. De Locis Theol. c. 1.

rentur infallibiliter, si Deus eos vellet salvos fieri: sed non salvantur: ergo nec Deus eos salvos fieri vult. Quae autem horribilia inde sequuntur confectaria, quis non videat?

II. Primo sequitur, reprobus salutem esse impossibilem, damnationemque necessariam, & inevitabilem. Cum enim salus, ad quam misericorditer a Deo ordinati sumus, excedat vires omnis naturae creatae & creabilis, nedum hominis infirmi, & faucii per originalem culpam; nisi Deus velit eum salvare, omnino salvari non poterit. Rursus, cum nihil sit medium inter salvari & damnari; damnatur necessario. poterit igitur reprobus dicere: Per Deum adest vita aeterna; & media quibus ad eam perveniri possit: quod prohibetur: (1) Non dixeris, per Deum adest: Non dicas, ille me implanavit: non enim necessarii sunt ei homines impij.

III. Secundo ex negatione voluntatis salvandi omnes homines, unum ex duobus necessario sequitur, videlicet: vel quod Deus de omnibus hominibus providentiam non habeat: vel, quod sicut aliquos praedestinat ad vitam aeternam; ita alios ordinat ac praedestinat ad aeternam mortem, & damnationem nusquam finitaram. Sequela evidens est: nam si Deus aliquos non vult salvari, nec ad salutem eos ordinat, aut eos ordinat ad damnationem, vel ad nullum finem; cum non detur medium. Si hoc ultimum: ergo de eis non datur providentia, quae juxta D. Thomam est ratio ordinis rerum in finem. (2) Confirmatur argumentum ex S. Thoma, dicente: (3) Providentia ergo ordinem in finem respicit tantum. Unde per DEI PROVIDENTIAM OMNES HOMINES ad beatitudinem ordinantur. Ergo si Deus aliquos non ordinat ad beatitudinem, non habet de his providentiam. Si hoc minus placet, ne in eorum errore incidatur, qui dicunt: (4) Nubes latibulum ejus, & circa cardines caeli perambulatur, nec nostra considerat; necesse est dicere, non praedestinas a Deo ab beatitudinem, praedestinas esse ad aeternum interitum. Porro, cum praedestinato sit preparatio medicorum, quibus certissime pervenitur ad finem a Deo inreantum, si Deus reprobos praedestinat ad aeternam mortem & damnationem, dicendum quoque foret, quod catholica aures audire horrent, Deum praeparasse media, id est, peccata praedestinasse, ob quae reprobi sint aeternum damnandi: Adeo ut sit proprium ejus opus, non minus prodigio Jude, quam vocatio Pauli, quod anathemate damnatum est a Trid. (5)

IV. Tertio, cum multis reprobis Deus communice gratiam suam, perducaturque ad justificationem; imo quibusdam ex illis plures gratia conferantur, quam aliquibus praedestinati; decepta solum finali perseverantia; si Deus non habeat sinceram voluntatem eos salvandi, non poterunt gratiae illae esse hujus voluntatis effectus, sed praedestinationis ad aeternum interitum; scilicet, ut gravior & intollerabilior inde fiat eorum damnatio: at hoc manifeste blasphemum est; renovatque doctrinam a Calvino quondam traditam lib. 2. instit. cap. 2. num. 18. sequentibus verbis: (6) Praebuit quidem illis (Philosophis, addamus, istis iustis) Dominus, ut supra dictum est, exiguum divinitatis suae gustum, ne ignorantiam impietatis obtenderent: & eos interdum ad dicenda nonnulla impulit, quorum confessione ipsi convincerentur: sed ita viderunt, quae videbant, ut tali intuire minime ad veritatem dirigerentur, nedum

pertingerent; qualiter nocturni fulguri confusionem, qui in medio agro est viator, longe lateque ad momentum videt, sed adeo evanido aspectu, ut ante noctis caligine resorbatur, quam pedem movere queat, tantum adest, ut in viam tali subsidio deducatur.

V. Solent Quesnellii defensores ad Thomisticae distinctiones confugere, ac dicere, Quesnellum solummodo negasse voluntatem efficacem & consequentem salvandi omnes homines; non vero antecedentem, uti Thomista. Resp. I. Quesnellum de Jansenismo violentem suspectum, debuisse id exprimere, quo omnem a se pravam suspensionem amolleretur; praesertim cum scriberet de voluntate Dei salvandi homines: quod cum minime fecerit, aptari ei possunt ac debent verba S. Augustini paulo ante relata: Voluntas salvandi omnes homines queratur, [7] quae ab ipso sola CLAMATUR non esse necessaria CUM TACETUR. Qui si omnino nihil de voluntate Dei diceret, nec eam questionem solvendum sibi proponeret, ut a se de hac re invidiam removeret; posset putari hoc quidem sentire quod veritas habet, sed non dixisse; quia non ubique omnia dicenda sunt. Proposuit de voluntate Dei questionem: id respondit quod habebat in corde. Desintra questio est: non quam volebamus; sed ubi quid sentiret dubitabamus.

VI. Resp. II. Etiam si expresse dixisset Quesnellus, se admittere voluntatem antecedentem salvandi omnes homines; non propterea habendus foret catholicus. Posset enim dicere: Postquam peccata jam ab hominibus inducuntur, voluntas antecedens in sola praesensione mentis, adcoque nuda quadam voluntate, nihil omnino gratiae causante consistere potest; [8] uti dixit Jansenius. Aut dicere potuisset esse solam signi voluntatem, quod nec Jansenius negavit. Dicere debuisset esse voluntatem beneplaciti & non signi tantum: uti ait S. Thomas: [9] cujus effectus est ipse ordo in finem SALUTIS & promotionis in finem, omnibus communiter propolita; tam naturalia quam gratuita.

VII. Resp. III. Tametsi Quesnellus etiam haec omnia distincte & clare expressisset, causa ejus necdum finita fuisset: poterat enim dicere, illam voluntatem antecedentem, quam Deus ex se concepit, [10] quando humanum genus instituit, quae omnia peccata hominum antecessit, fuisse bonitatis, ut homo gratiae felicitatisque participes fieret... Sed talis antecedens voluntas, quamvis sine accessu circumstantiarum consideratur, aliquid ad causandam gratiam sufficientem, aliaque media necessaria procuranda salutis, facit; utpote ex qua primorum hominum gratia sufficiens fluxit. Sed post peccata inducunt aliud longe esse dicendum, id nimirum quod num. praec. ex Jansenio adduximus. Dicere debebat cum S. Thoma de verit. q. 23. a. 2. ad 2. Quod ordo divinae voluntatis non attenditur secundum DIVERSA VOLUNTATE; quasi voluntas antecedens veretur circa hominem innocentem, consequens circa lapsam; sed per respectum ad UNUM ET IDEM VOLUTUM, propter diversa in eo reperta: sicut aliquem hominem vult Deus salvari voluntate antecedente, ratione humanae naturae, quam ad salutem fecit: sed vult eum damnari voluntate consequente, propter peccata, quae in eo inveniuntur. Dicere debebat, voluntatem Dei antecedentem similem esse voluntati iusti iudicis, qui antecedenter vult hominem vivere: [quod bonum est, si absolute consideretur] sed consequenter vult homicidam suspendi: quod etiam bonum est. Hoc exem-

emplo utitur S. Thomas. [1] Aut, quod sit similis voluntati mercatoris, qui metu naufragii mercium suarum iactum facit, quo utitur idem S. Doctor: [2] quamquam inter privatum hominem & defunctum universalem; quem non deceat omnes defunctos impedire, etsi possit; differentia aliqua intercedit: prout quoque inter merces & homines accidit; qui se sponte sua in perniciem praecipitant, non merces. Ita loqui Quesnellus debebat, si catholicus esse, & haberi volebat. Ac licet addidisset cum S. T. loco ex 1. p. cit. voluntatem illam magis posse dici velleitatem, quam absolutam voluntatem: licet dixisset esse voluntatem signi, addendo eum eodem S. Doctore: (3) Quod voluntas signi tribus modis se habet ad voluntatem beneplaciti. Quaedam enim est voluntas signi, quae nunquam incidit in idem cum voluntate beneplaciti: sicut permissio, quae permittit mala fieri, cum mala fieri nunquam velit. Quaedam semper in idem incidit, sicut operatio. Quaedam vero quandoque incidit, & quandoque non, sicut praecipitium, prohibitio, & consilium: voluntatemque salvandi omnes homines, esse signi simul & beneplaciti, si haec, inquam, addere voluisset, nemo ei molestus futurus erat. Verum cum ab hisce expressionibus duxerit temperandum; sibi ipsi non nobis imputet; si juxta regulam nostram 5. (4) ex Augustino adductam, dicimus, quod omnem Dei voluntatem non sterilem salvandi reprobos profusus negaverit: sustinueritque propositionem impiam, blasphemam, Deo contumeliosam, ac etiam haereticam: atque uti talem, fatente Theol. suppl. in Jansenio damnatam. (5)

VIII. Dicunt etiam Quesnelliana doctrinae Mangones, eum aliud nihil docuisse praeter id quod docuit S. Augustinus, qui locum Apostoli: (6) Deus omnes homines vult salvos fieri, tere ubique explicat de generibus singulorum, non de singulis generum. Sed nec id prodest quidquam male factae cause. Attendendus Augustini scopus illis in locis, ubi hoc modo Apostolum exponit, & videbitur solum exclusivum, voluntatem illam indiscriminatam & communem electis & reprobis, quam statuebant Pelagiani & Semipelagiani: nimirum, ut ex parte Dei nulla sit diversitas salvandi hominis a damnando; sed tota illorum discretio sit teneat ex parte voluntatis hominum; quorum unus salvatur quia salvari vult; alter, quia non vult, damnatur. (7) Caeterum, S. Augustinus admisisset praeter specialem voluntatem salvandi electos, etiam generalem aliam, quae reprobos comprehenderat, & aliquoque ordinat ad salutem, conitat ex verbis sequentibus: (8) Vult autem Deus, ait, omnes homines salvos fieri, & in cognitionem veritatis venire: non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quod vel bene vel male nentes iustissime judicant. Quod cum sit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno & summo bono, malisque poenalius implicent; experant in supplicis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt.

IX. Dicere quoque solent, talem voluntatem, qualem catholici in Deo statuant, imperfectionem involvere Deo repugnantem &c. sed retorqueri objectio potest in ipsos adversarios: nam in Deo respectu Adami innocentis, cum suo Magistro Jansenio talem admittunt voluntatem: (9) Ergo vel ipsi admittunt in Deo imperfectionem, vel nos non admittimus, admittenda similem vo-

luntatem in Deo respectu hominis lapsi. Respondendo vero directe argumento, dicendum cum S. Thoma: (10) Quod voluntas antecedens potest dici conditionata; nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinae, sed ex parte voluntatis, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quae exiguntur ad rectum ordinem in salutem.

X. Superest aliquid dicatur ad S. Fulgentium, quem Theol. suppl. pag. 203. ait, crudioribus verbis Quesnelle usum. (11) Ait enim: Omnes quos Deus vult salvos fieri, sine dubitatione salvantur: nec possunt salvari, nisi quos Deus vult salvos fieri: nec est quisquam quem Deus salvari velit, & non salvetur. (12) Sed solvitur objectio levi reflexione ad nostram regulam 4. de habenda ratione personae scribentis, & tempore, aliarumque circumstantiarum: ex hac enim una & eadem regula bonus criticus absolvet Fulgentium, damnabit Quesnellum. Fulgentius propugnator fidei Romano-catholicae zelosissimus; Quesnellus oppugnator audacissimus; ille in publica luce; hic ex ignoto tuguriolo, nomine suo occultato, nec operi adscripto: ille in patria, vel exul ob fidem; hic exul ob pravam doctrinam: scopus illius, oppugnare Pelagianos aut Semipelagianos negantes specialem voluntatem in Deo, salvandi electos & praedestinos; hujus, oppugnare Decreta Pontificia Jansenium negantem voluntatem generalem salvandi omnes homines, damnantia: ille, quo tempore apud omnes catholicos audiebat; hic, cum audiret Jansenista, scribebant. Qui ergo dubitet Fulgentio tribuere sensum catholicum; Quesnelle Jansenianum? Saltem bonae criticae regulae ita volunt.

§. II.

Propositio Quesnelliana, censura notata.

Desideria Christi semper habent suum effectum: patet intimo cordium inferunt, quando eis illam optat. Est 31. Quesnell. Joan. 20. v. 19.

XI. Si... diligenter qua ad Christum pertinent, cogitentur, (13) inquit Augustinus, nominatenus inveniuntur Christus: apud quolibet hereticos, qui se Christianos vocari volunt: ut vero ipsa non est apud eos. Liceat mihi dicere: si diligenter qua ad Christum pertinent cogitentur, re ipsa non est apud Quesnellistas. Enimvero Christus unctus est Jesus, id est, Salvator omnium hominum, maxime fidelium: (14) quibus paucis verbis clare significat Apostolus, Christum Dominum passionem suam ac mortem obtulisse Patri in pretium seu lytrum pro omnibus omnino hominibus, voluntate generali; specialiter tamen fidelibus: Et Salvator, inquit, omnium hominum, maxime fidelium. Neque enim Salvator dicitur, nisi qui lytrum dedit: sicut Imperator v. g. est sufficientes divitias habet redimendis omnibus omnino mancipiis christianis; non tamen salvator quib; nec dicitur, nisi eorum tantum, pro quibus redimendis pretium dedit. Si ergo Christus est salvator omnium hominum, non sufficit dicere mortem Christi ex se esse sufficientem omnibus redimendis (sic evasioni Quesnellianae rimam occludimus) sed se ipsum dedisse redemptionem pro omnibus, necesse est; maxime vero pro fidelibus quorum maximo salvator est. Unde idem Apostolus praemisit: (15) Unus mediator Dei & hominum, homo, Christus Jesus, qui DEDIT redemptionem

(1) Eclli. 15. v. 11. v. 12. (2) I. p. q. 22. art. 1. (3) de ver. q. 6. art. 1. (4) Job. 22. (5) Sess. 6. can. 6. (6) Tomo 9. Edit. Amstel. 1667. (7) Pag. 43. num. 9. (8) Lib. 3. de grat. & lib. arb. c. 20. (9) De verit. q. 23. art. 3. S. T. in 1. dist. 40. qu. 1. art. 1. c. (10) Jansen. loc. cit.

(1) I. p. q. 19. art. 6. ad 1. (2) In 1. ad Timoth. c. 2. Lect. 1. (3) Qu. 23. de verit. art. 3. ad 6. (4) Pag. 43. num. 9. (5) Pag. 202. (6) I. ad Timoth. 2. (7) S. Prosper Episc. ad Aug. (8) De Spir. & lit. c. 33. (9) Vide n. 7. (10) In 1. dist. 46. q. 1. art. 1. ad 2. (11) Lib. de In-car. & grat. a. 31. (12) Pag. 42. (13) Enchir. cap. 5. (14) L. Tit. 4. v. 10. (15) C. 2. v. 6.

prionem semet ipsum PRO OMNIBUS: atque ex hoc, quod videlicet SE DEDIT redemptionem pro omnibus, inferit cap. 4. quod ipse sit SALVATOR OMNIUM HOMINUM, maxime fidelium: ac si tacite innotat, non fuisse futurum Salvatorem omnium, nisi se pro omnibus REDEMPTIONEM DEDISSET.

XII. Porro TO DEDIT REDEMPTIONEM plus aliquid significare, quam mortem Christi esse sufficientem esse omnibus redimendis, vidit Jansenius, nec dissimulavit; ubi relatis illis Apostoli verbis, aliquibus interpositis, subdit: (1) Sed quia ista phrasit, quia dicitur SE pro aliquo REDEMPTIONEM DARE, pra se ferre videatur redemptionem EX REDIMENTIS ANIMO in usum & libertatem captivorum OFFERRI ac DLRIGI, quae obligatio & directio Christi INANIS esse non potest: & quia alioquin etiam pro demonibus se dedisset redemptionem dici posset, quibus redimendis sine dubio, pretium sanguinis ejus est sufficienter. Ex quibus omnibus inferre debebat Jansenius, sicut inferimus catholici: Ergo Christus, teste Apostolo, dedit se redemptionem pro omnibus; id est, se, ex suo ipsius redimentis animo, in usum & libertatem captivorum, generaliter quidem omnium, specialiter vero fidelium, obtulit, ac pretium sanguinis sui direxit: curaque hae obligatio & directio Christi inanis esse non possit; sicut fidelibus usque in finem, obtulit morte sua gratiam, qua perseverantes sunt; ira aliis obtulit saltem gratias, quibus perseverantes esse, & salutem consequi possent. Sed Jansenius ex tam praclare jactis fundamentis, dum contemptis Scholasticis Doctoribus, suo nimium confidit ingenio, intulit, quod Christus se obtulit quidem pro salute praedestinatorum; pro omnibus vero omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fuisse, ad Semipelagianos ablegavit, uti ex quinta ejus damnata propositione constat: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fuisse.

XIII. Hoc error de morte Christi pro aeterna salute horum praedestinatorum, recens aut novus non est. (2) Calvinus enim. i. ad Timoth. 2. v. 5. ad illa verba: *Christus Jesus, qui dedit semet ipsum redemptionem pro omnibus*, ait: *Particula universalis, semper ad hominum genera referri debet, non ad personas*. Perckinius de praedest. tom. 1. col. 144. *Christum omnes & singulos ex parte sua redemisse & reconciliafse Deo; ex his tamen plurimos quoad eventum damnari, miro absurdum*. Piscator in thesibus lib. 2. pag. 371. *Christum pro omnibus hominibus mortuum esse sufficienter, sed non efficaciter, negamus*. Sed & altius repeti potest; nam Saeculo 9. Gottescalchus hoc titulo damnatus fuit, quod videretur statuere, Christum pro solis praedestinati mortuum esse: atque hinc forte errorem suum hausit Jansenius; cum tamen ex iis quae illo sunt gesta tempore, suum ipse errorem potius debuisset corrigere.

XIV. Nimirum, capitula quatuor Synodi Carthacensis [Kierst]. *Chiossi & corrupte Tierci in Diocesi Sueffionensis ad fluvium Octiam, L'Oyse prope confinia Diocesis Noviomenfis*] celebratae 853, quorum primo titulus: *Quod una tantum sit Praedestinatio Dei*. Secundo: *Quod liberum hominis arbitrium per gratiam sanetur*. Tertio: *Quod Deus omnes homines velit salvos fieri*. Quarto: *Quod Christus pro omnibus hominibus passus sit*: haec, inquam, capitula leguntur quidem in Synodo Valentina tertia, anno 855. damnata,

propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati: [3] [nisi cum Natali Alexandro diceremus ea verba ab Ebone Gratianopolitano Episcopo fuisse Synodo Valentinae intrusa] sed eo tempore damnata sunt, quod dissidentes Carolus Calvus, cui parebant PP. Cariffaci, & Loharius, cui suberant PP. Valentini, ipsos quoque Episcoporum animos, ut fieri solet, in contraria studia oblaxerant, ac ne in unum convenirent impediebant. Nec pertiterunt Valentini PP. in sua censura: nam in Synodo Lingonensi anno 859. Valentini Canones ita probarunt, ut illam Cariffacorum capitulorum censuram expungi voluerint; atque hae expungitio deinde probata fuit in Synodo Tullesii apud Saponarias, non ex tribus tantum, ut Valentina, sed ex duodecim provinciis congregata, post quindecim dies a celebrata Lingonensi.

XV. Quid ita? Nisi quod auditis mutuis sententis, se deprehenderint in eadem fide convenire: scilicet, Cariffaci praeter specialem affectum erga praedestinos, requirebant generalem, quam Gottescalchum exclusisse putabant, voluntatem salvandi omnes omnino homines: e contra Valentini, praeter generalem illam voluntatem, quam solam putaverant statuiffe Cariffacos articulos, requirebant specialem erga electos & praedestinos; sed in rei veritate utrique, tam Cariffaci quam Valentini Patres, utramque voluntatem admittebant. Nec est incredibile amicos Gottescalchi: [fuerit ille vere reus vel non fuerit] omni studio conatos fuisse persuadere, ac etiam persuadisse aliquibus Episcopis, Augustiniana doctrina plurimum devotis, aliam non esse Gottescalchi quam Augustiniani doctrinam; Augustinumque sub Gottescalchi orio in Cariffaca Synodo vapulasse; id quod tanto facilius credere poruerunt Valentini, quod doctrina Gottescalchi foret verbis dabiis, & facile diversum sensum capientibus expressa: [qua etiam ratione Quesnellus potuit inter Galliae Episcopos patronos invenire] vel etiam quod divinis principibus, quibus Episcopi illi parebant, adeoque & ipsis divinis [Principum enim discordiae facile post se subditorum diffusiones trabunt] fuerint Valentini Patres pravae de aliis idae magis susceptibiles.

XVI. Hic ergo invenire errandi occasionem potuit Jansenius, dum videns Episcopos Valentinos, doctrina Augustiniana studiosos ac tenaces, statuere voluntatem specialem in Christo salvandi praedestinos; censurasse praeterea Cariffacos, generalem contra Gottescalchum statuentes, credit de mente illorum PP. esse, solam illam voluntatem specialem. Verum si voluisset attendere; ipsa expunctio censurae Valentinae, reconciliatio Episcoporum in Synodo Tullesii, acceptatio etiam Canonum Concilii Valentini, expuncta solum censura, persuadere ipsi potuissent, Patres illos omnes utramque admisisse voluntatem. [4] Quid, quod Ecclesia Lugdunensis, cui praerat S. Remigius, unus ex Valentinis Patribus, utramque hanc voluntatem agnoscat & amplectatur? Lege caput 20. iaventes sequentia: *Si autem placeat, sicut & nobis multum placet, ut etiam istorum sententia ex pietate veniens [scilicet Christum pro omnibus omnino hominibus esse mortuum] propter pacem & venerabilem pietatem Beatissimorum Patrum, non veniatur; nulla ergo contentio pra aliis adversus alios litigetur, non una sententia pra alia damnatur*. [5] *Si inveniuntur alii Patres, qui illud gloriosum pretium etiam*

etiam pro nunquam credituris, & in sua impietate perituris damnos esse non abstant, melius, ut credimus, utrique honorarentur, nec pra aliis alii damnarentur; quia & illud manifeste divina auctoritate firmatum est; & istud, si pie sentitur non est abjiciendum. Et post pauca: *Quod si aliqui Patrum pro omnibus omnino hominibus passum (Christum) intellexerunt, honoretur & ipse, velut pius sensus: dummodo prior, qui est certissimus, & divina veritate firmatus, nulla presumptione contemnatur; vel etiam, quod gravius est, damnatur*. Sic in illis ipsis, quos forte Jansenius creditur fuisse opinionis praformatores, invenire remedium errori suo corrigendo potuisset.

XVII. Sed erit, qui altius ascendendum putet, ad invenendum erroris Janseniani fontem. Scilicet Jansenius creditur haerentem Praedestinarianam exitisse nunquam; sed doctrinam Augustinianam exitisse nunquam; sed doctrinam Augustini, ac propterea non multum abhorruisse ab iis, quae Praedestinarianis olim objecta fuerant: si, inquam, hoc pretendat quispiam, non multum refragatur. Verum & in antiquioribus Patribus deprehendere potuisset errorem suum Jansenius, quantum ad praesentem materiam spectat; cum non solus S. Prosper fidelissimus Augustini discipulus, hanc generalem redemptionem, quod Jansenius ipse fatetur, verum & S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Gregorius, quatuor praecipui & antiquissimi Ecclesiae Doctores; S. Athanasius, S. Joan. Chryf. id est Latini & Graeci; demum compendiosus SS. Patrum omnium Aquinas eam adfuerint. Primus: *Monitur*, ait, (1) *Joannes Baptista, & alioquin Christum, & voces demonstrans, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, si sunt adhuc in Saeculo, quorum Christus peccata non tulerit*. S. Ambrosius, quem S. Augustinus Magistrum suum appellat, ait: (2) *Mysticus autem Sol ille iustitiae omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, omnibus resurrexit: ideo autem passus, ut tollerit peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generaliter beneficio ipso se fraudat*. S. Gregorius ad illa verba sexti Psalmi Penitentialis: *Quia apud Dominum misericordia &c.* Quis, inquit, exponere queat quanta fuerit miserationis suavissima pretiofissima sanguinis effusione GENUS HUMANUM redimere? At vero genus humanum non redemisset Christus, si non pro omnibus passionem suam Patri Aeterno obtulisset. Tandem ipse S. Augustinus eiusdem catholicae veritatis nobis testis adest, dum Christum in iudicio impios ita allocuturum praedicat: (3) *Ecco hominem quem crucifixistis... agnoscite lasus quod pupugistis: quoniam & per vos, traxit voluistis*. (4) *Quod si quis dubitet cum Benedictinis S. Mauri, an hic liber, seu sermo, uti eum nominant, sit S. Augustini, en ei duo loca ex operibus S. P. indubitata. Enarrat. in psal. 95. num. 15. expendens ea verba, iudicabit orbem terra in equitate, ait, Non partem iudicabit, quia non partem emittit. Totum iudicare debet; quia pro TOTO PRETIUM DEDIT. Alter locus est ex Epist. 105. alias 166. num. 1. ubi Donatistas alloquens ait: Vos potius recedite a plebeis, pro quibus Christus suum sanguinem fudit. An nullus in plebeis Donatistarum erat praefectus? Ergo & pro illis Christus sanguinem suum fudit. Hic autem loquendi modus non sufficientiam dumtaxat pretii, sed & obligationem, exhibitionem, praestationem pretii, ex redimentis animo manifeste declarat.*

XVIII. Quando ergo S. Augustinus in Enchiridio & alibi sententias Apostoli, *Vult omnes homines salvos fieri*: (5) Et iterum, *Pro omnibus mortuus est Christus*: (6) De solis praedestinati interpretatus est, de efficaci & consequente voluntate loquebatur: nec hoc agebat, ut voluntatem antecedentem, quam Patres ipso antiquiores admiserant, excluderet, sed Semipelagianos & Pelagianos, qui illis Apostoli testimoniiis, ad illam unam & unicam voluntatem universalem, indiscretam & uniformem respectu omnium tam salvandorum quam damnandorum stabiliendam abutebantur, ex ultimis suis munitionibus vallique deieceret. Erravit ergo in crisi Jansenius, dum non attendens contra quos, aut quo tempore scripsisset illa Augustinus (nam si contra Pelagianos aut Semipelagianos scribebat, uti revera scripsit, a phrasibus eorum, cum sciret eos esse accipere verbulorum, erat Augustinus studioso abstinentem) putavit erronee, tres illas de efficaci & consequente voluntate expostiones, quibus saepissime Augustinus usus est, excludere aliam generalem sed antecedentem: quam tamen S. Pater non minus luculenter, ut vidimus, expressit.

XIX. Veniamus ad Patres Graecos. S. Athanasius in Symbolo fidei, *Qui passus est pro salute nostra*, inquit, ponitque inter eos articulos, quos, nisi *QUISQUE* fideliter firmiterque crediderit, *salvus esse non poterit*: Atqui certum est quod UNUSQUISQUE hoc fide divina, cui saltum subesse nequit, credere nequeat, prout exigit clarissime Sanctus Athanasius, nisi simul eadem fide teneat, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, dum pro salute nostra idem valet ac, *pro mea & illius & istius &c.* salute, quod posset saltum esse, si non pro omnibus mortuus est Christus. (7) S. Joannes Chryf. expendens illa verba: *Qui proprio Filio non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit ipsum: Quoniam de causa?* ait: *Non hoc nobis debebat, sed fecit gratia*. Et paucis interiectis. *Non pro fidelibus solum, sed universo orbe terra. Nam ipse quidem mortuus est pro omnibus. Quid tum autem, si non omnes crederentur? Ipse quod suum erat implevit*. Accedat demum Epitome omnium SS. Patrum Angelicus Doctor. (8) Hic de passione Christi loquens, ait. *Per passionem Christi est paratum hominibus remedium se tuendi contra nequias demonum, etiam tempore Antichristi. Sed si aliqui hoc remedio uti negligunt, nihil deerit efficaciae passionis Christi. Si per passionem Christi paratum est remedium, pro illis etiam, qui remedio uti negligunt, & negligendo damnantur: ergo pro his etiam passio ex parte Christi oblata est.*

XX. Ex dictis hucusque paulo diffusius, prout rei gravitas postulare videbatur, constat duplicem esse circa mortem Christi sententiam: unam haereticorum, negantium Christum mortem suam, pretiosissimumque sanguinem aeterno Patri, pro salute omnium hominum obtulisse: alteram catholicorum, qui, etsi fateantur Christum speciali affectu & modo orasse, passionemque suam, pro salute praedestinatorum obtulisse; admittunt tamen quod generali intentione; sive, quod in idem redit, voluntate antecedente, non consequente, idem fecerit pro toto genere humano, id est, pro omnibus omnino hominibus: cujus antecedentis generalisque voluntatis sinceritas non incongrue explicari posset ex sequente S. Thomae doctrina: (9) *Si ergo praecipuum illud designabat voluntatem ipsius,*

Berry Tom. V.

(1) Epist. 83. ad Oceanum. (2) Commentario in psal. 118. n. 57. (3) Lib. 2. d. 2. Sym. ad Carthagenam. cap. 3. (4) Tom. 6. oper. S. August. col. 555. (5) 1. Tim. 2. (6) 2. Cor. 5. (7) Hec, 4. in cap. 2. ad Hebr. (8) 3. p. qu. 49. art. 2. ad 3. (9) 3. p. qu. 13. art. 4. ad 2.

(1) Libr. 3. de grat. Salv. c. 20. §. 4. (2) Apud Richar. Smith. Collat. Doctrin. c. 20. ar. 19. (3) Differt. 5. ad Syc. 9. & 10. §. 11. (4) In libro de tribus epistolis. (5) Cap. 24.

Christi, qua humanam gloriam respiciebat, secundum illum Joannis 8. Ego gloriam meam non quaero: Voluntas tamen absoluta, praesertim secundum divinam voluntatem, ut publicaretur miraculum factum, propter aliorum utilitatem. Loquitur de precepto dato duobus crucis: (1) Et comminatus est illis Jesus: Videte ne quis sciat. Superest ostendatur, sensum propositionis trigesima prima Quiesnelliana haereticum esse, non catholicum. Id breviter sic ostendo, sensus idem acturus §. seq. Propositio hac prolata ab homine ob Jansenium exule: de propugnata prima praesertim & quinta Janseniana, quodque Semipelagianos censuerit quoscumque tenentes, Christum pro omnibus hominibus mortuum &c. accusato ac convicto; episcopali judicio Jansenismi damnato: demum ab homine, qui una docet, Christum se morti tradidisse ad liberandum suo sanguine primogenitos, id est, praedestinos, non potest lectori prudenti non imprimere & repraesentare sensum Jansenianum. Haec, ultimo dempto, de quo §. seq. constat de Quiesnello ex dictis cap. 2. §. 2. Sensus ergo illius propositionis habendus est Janseniticus, non catholicus. (2) Semel malus semper praesumitur malus: quam regulam explicans S. Antoninus noster ait: (3) Hic ergo videt quod praesumitur ex praeterito circa praesens & futurum. Interdum praesumitur ex praesenti circa praeteritum: interdum circa praesens; interdum circa futurum &c. quae omnia simul sumpta cogunt, ut accipiat Quiesnelliana in sensu Jansenii: qui etiam dicere ausus fuit, Christum non magis pro salute reproborum, quam diaboli deprecatum fuisse: putavitque id probari ex Augustino posse: de quo aliquid dicendum priusquam ad alium §. pergam.

XXI. Est, fateor, difficultas aliqua in argumento, quod Jansenius olim traxit ex verbis Augustini dicentis: (4) Si de aliquibus ita, Ecclesia, certa esset, ut qui sunt illi etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita constituti, tamen praedestinati sunt in aeternum ignem ire cum Diabolo; tam pro eis non oraret; quam nec pro ipso: sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exaudiat. Ex his verbis consequi visum est Jansenio, Christum, cui reprobi omnes noti erant, pro his non orasse, nec passionem & mortem suam Deo obtulisse: verbo, nullum, nec minimum quidem salutis eorum desiderium in corde benignissimo suo fovisse. Non deest tamen huic nodo cuneus. Pro quo expediendo, oportet notare ex S. Gregorio: (5) quod obtineri nequaquam possunt quae praedestinata non fuerunt: sed ea quae sancti viri orando efficiunt, ita praedestinata sunt, ut precibus obtineantur. Hoc paulo post exemplo ex Scriptura manifestissimo probat dicens: „Deus semen Abrahamae multiplicari per Isaac praedestinaverat, & tamen scriptum est: Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis; qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebecca. Si ergo multiplicatio generis Abrahamae per Isaac praedestinata fuit, cur conjugem sterilem accepit? Sed nimirum constat, quia praedestinatio precibus impletur: quando is, in quo Deus multiplicare semen Abrahamae praedestinaverat, oratione obtinuit, ut filios habere potuisset. Sic ergo Deus, qui Ecclesiam facit Matrem filiorum lactantium, ab aeterno disposuit, quod multorum salutem precibus suis obtinere debeat: & quia non scit qui sint illi, ideo pro omnibus generaliter orat. Finis ergo orationum Ecclesiae est, obtinere a Deo id, quod non nisi precibus se daturum

(1) Matth. 9. (2) De reg. juris in 6. (3) In sum. p. 1. Tit. 20. lit. s. (4) Lib. 21. de Civit. Dei c. 24. (5) Lib. 1. Dial. c. 8. (6) Ad Rom. 5. (7) Ad Coloss. 1. v. 19. & 20. (8) De cogit. eccl. dist. 1. c. sufficit.

Ecclesiae ab aeterno disposuit. Unde, si ponimus Ecclesiam cognoscere reprobos, pro illis non oraret, ut ait Augustinus: quia deficit finis, ad quem obtinendum, preces Ecclesia fundit. Christus vero debuit orare & desiderare salutem omnium omnino hominum, quae reparaturus quod primus Adam perdidit, humanum genus Deo reconciliaturus, justitiae divinae aequatae satisfactorus, nos in viam salutis reducorus adveniens; quae omnia non perfecte adimplevisset, nisi pro omnibus mortem suam Patri aeterno obtulisset, pro omnibus aliquo modo orasset, omniumque salutem, ad minus conditionate, optasset. Unde etiam Ecclesia non foret oratura, ut Augustinus loquitur, pro illis quos novisset reprobos: oportuit tamen Christum aliquo modo pro omnibus orare, omnibus media, ut minimum sufficientia ad salutem preparare, ut nullus salutis suae aeternae foret impetrens; sitque Christus universalis redemptor, secundus Adam; nec deficiat gratia, ubi abundavit peccatum: sed contra, gratia, ut loquitur Apostolus, (6) Superabundet: Quia in ipso complacuit, nihil dimidiatum, sed omnem plenitudinem inhabitare: & per eum (verba sunt Apostoli) (7) reconciliare OMNIA in ipsum, pacificans per Sanguinem CRUCIS ejus sive qua in terris, sive qua in caelis sunt. Non enim partem emit generis humani, ut supra ex Augustino dicebamus, sed totum: adeoque pro toto preces, lacrymas, passionem & mortem Deo Patri dedit, obtulitque. Hinc Alexander Papa: (8) Christus semel passus est, & TOTUM MUNDUM redemit, & S. Joan. Chrysol. cit. pag. 127. n. 19. Proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit ipsum. Quanam de causa? Non hoc nobis debuit, sed fecit gratia. . . . Non pro fidelibus solum, sed universo orbe terrae. Nam ipse quidem mortuus est pro omnibus. Quid tum autem, si non omnes crederent? IPSE QUOD SUUM ERAT IMPLEVIT.

§. III.

Propositio Quiesnelliana, censura notata.

Christus Jesus se morti tradidit, ad liberandum pro semper suo Sanguine primogenitos, id est electos de manu exterminatoris. Est 32. Quiesnel. ad Gal. 4. v. 4. 5. 6. & 7.

XXII. Hic jam tenemus constantem rem, Quiesnellum dico, proponentem, Christum non nisi pro electorum ac praedestinatorum aeterna salute, vel, quod idem est, ad liberandum pro semper electos de manu exterminatoris morti se tradidisse. Unde, etsi alibi diceret, Christum non pro solis praedestinatorum mortuum esse, id ita intelligendum foret, ut quidem aliquibus non praedestinatoris gratias aliquas temporarias meritis sit; non autem, quasi pro salute aeterna eorum morti sese obtulisset, aut sanguinem fuderit: hoc enim, pro ut ex dicta propositione manifestum est, ad solos pertinet electos, seu praedestinos. Porro talis doctrina non sufficit ut quis dicatur, sit verus Catholicus. Probat: Nam Patres Concilii Nicaeni trecenti & octodecim, fidei catholicae Symbolum ita exposuere, ut necesse sit, si fidem eorum tenere volumus, credere in Jesum Christum Dominum nostrum. . . . qui propter nos homines, ET PROPTER NOSTRAM SALUTEM descendit de caelo, & incarnatus est. . . . homo factus: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepul-

sepultus est. Et quia S. Thoma teste (1) uberius explanatio Symboli necessaria fuit ad supprimendos errores; consequens est antiquum errorem, a Quiesnello demum hiis diebus nostris fuisse resuscitatum: Jansenio, Calvinio, Lutero, Praedestinatorum, de quibus jam dictum est, vestigiorum. Idem error damnatus legitur a Paulo Papa IV. Bulla edita anno 1555. ubi varios inter errores, qui ipsius fidei fundamenta, sic Pontifex loquitur, quatiebant, hic etiam recensetur; Dominum ac Deum nostrum non subisse acerbissimam crucis mortem, ut nos a peccatis, & ab aeterna morte redimeret, & Patri ad VITAM AETERNAM RECONCILLARET. Docuerat eundem Jansenius, cujus quintam propositionem intellexit, ut Christus pro SALUTE DUMTAXAT praedestinatorum mortuus sit: impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietatis derogantem, & haereticam declaravit, & uti talem damnavit Universae Ecclesiae Catholicae, praesentibus Romanis Pontificibus Clemente X. Alexandro VII. ceterisque hinc subsecutis. Quidam ex Jansenii discipulis, an magistri sui propositio, paululum ampliata, in speciem saltem, potuisset tollerari, tentare olim voluit, aliam hanc propositionem alex exponens: Dedit, Christus, semetipsum redemptionem pro omnibus & solis fidelibus, quod amplius est, quam pro solis electis & praedestinatoris: sed & hanc damnavit Alexander VIII. At Quiesnellus, his omnibus minime absteritis, ad primogenitos seu electos, pro semper, liberandos restrinxit. Oletemariam, quem nequiverunt aliena pericula redere cautum.

XXIII. Dicit aliquis, falsum esse, quod Quiesnellus ad solos mortem Christi restrinxit Praedestinos: quippe To pro semper, indicat modum specialem, convenientem quidem primogenitis, minime reprobis; at propterea non negatur absolute mortuus Christus pro his, ultimo loco recensitis: sicuti dum Thomista asserunt mortuum esse Christum efficiaci, & consequente voluntate, seu absoluta pro praedestinatoris, non censetur negare Christum etiam mortuum esse pro reprobis. Priusquam huic evasioni, primo aspectu plausibili, respondeant, opera pretium erit denuo exhibere, quae fuerit doctum Ecclesiae Lumen, in hac quaestione ab adversis partibus citatorum, Sanctorum, inquam, Patrum & Ecclesiae Doctorum Augustini & Thomae, circa universalitatem redemptionis Christi sententia. Et Augustinus quidem non Judam ab illa excludit generalitate, in psal. 68. dicens: Nec agnovit pretium Judas, quo ipse a Domino redemptus erat. Ne vero dicatur, Judam ideo dici redemptum, quia temporalem justitiam adeptus est; in locum alium quo redemptionis Christi ad eos etiam extenditur, qui nullam unquam auxilium intrinsece receperunt, nedum temporalem justitiam. Desumptus est ex Lib. 1. oper. imperf. con. sul. n. 30. ubi sic Julianum naso suspendit aduaco: Praeclarus, inquit, Praedicator! Sic praedicatis Jesum, ut eum negatis parvulorum esse Jesum. Unde namque hoc nomen accepit, in Evangelio legitur, & nos SALVATOREM NON SALVIS PUERIS INVIDERE. Haec meditantur Quiesnellum dum interim Augustinianum contractum, Thomam, dico, in medium advo-

XXIV. Angelicus ergo divinae voluntatis interpres voluaitatem Christi, non dico, ad temporalem quamdam justitiam dumtaxat, verum ad salutem quoque extendit eorum, qui damnantur. Sufficeret quod dicit Lactantius in Cap. 8. prima ad Corimb. exponens illa Apostoli: Peribit infer-

Servy Tom. V.

mus in tua conscientia frater &c. sic enim ait ibidem. Peribit infirmus. . . . Propter quem salvandus Christus MORTUUS EST? Sed est alius egregius locus, ex 3. p. quest. 27. art. 2. ubi inquit: An convenienter fuerit Christo nomen impositum? Affir nativae responsionis hanc adducit rationem in corp. Resp. Dicendum, quod nomina debent proprietatibus rerum respondere. . . . Nomina autem quae imponuntur aliquibus divinitus, semper significant aliquid grativum donum, eis divinitus datum, sicut genes. 17. dictum est Abraham: Appellaberis Abraham. . . . & Matth. 16. dictum est Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Quia ergo Christo hoc nomen grativae collatum erat, ut per ipsum OMNES SALVARENTUR; ideo convenienter vocatum est nomen ejus JESUS, id est SALVATOR. Clarius adhuc loquitur in solutione 2. argumens, desumpti ex Isaia de Christo dicente: (2) Vocabitur tibi nomen novum &c. ex quo inferabatur, nomen JESUS, utpote multis commune, non debuisset imponi Christo. Cui sic respondet Thomas: Dicendum, quod his qui fuerunt ante Christum, posuit convenire hoc nomen Jesus secundum aliquam aliam rationem; puta, quia aliquam PARTICULAREM & TEMPORALEM SALUTEM attulerunt. Sed secundum RATIONEM SPIRITUALIS & UNIVERSALIS SALUTIS, hoc nomen proprium est Christo: & secundum hoc dicitur nomen novum. Habemus ergo ex Angelico, adorabile nomen JESUS non ob temporalem, & particularem; sed ob spiritualem & universalem quam attulit salutem, competere Christo.

XXV. Nunc ad effugium Quiesnellianum. Demus propositionem Quiesnellii, prout jacet, non excludere, quod Christus aliquo modo fit mortuus pro quibusdam non praedestinatoris: at per hoc non fit Quiesnellus catholicus. Jansenius dixerat: Si quid, Christus, pro illis, reprobis, rogavit Patrem, pro temporalibus quibusdam justitiae effectibus rogavit, & pro ipsdem obtinendis obtulit pretium, sudatque sanguinem suum. Propositio 4. ab Alexandro VIII. damnata asserbat: Christum non pro solis electis, sed pro omnibus & solis fidelibus, semetipsum oblationem dedisse: nec tamen propterea doctrina Jansenii, aut quartae illius propositionis est, aut habetur catholica. Docuerit ergo Quiesnellus mortis Christi omnes fideles esse participes, quatenus virtute illius, temporalibus quibusdam justitiae effectibus exornantur, per hoc non recessit a damnata pridem doctrina. Credere tenor ac profiteri, sicut & Quiesnellus tenebatur, juxta Symbolum Apostolorum, a SS. PP. in Conciliis generalibus explicatum; quod Christus propter nos homines (i. e. propter me, & illum, & istum, & sic de omnibus omnino hominibus; quia Nos, in nominativo, valet, ego & ille &c. juxta S. Thomam: (3) Ergo in accusativo, Me, illum, istum &c.) & propter nostram SALUTEM descendit de caelo &c. Hanc fidem Auctor Reflexionum Moralium, dum scriberet, de Jansenio violenter suspectus, & dum Romae propositiones ejus damnabantur, etiam accusatus, convictus, & damnatus, clare & nitide exprimere debebat, si esse catholicus & haberi volebat. Sed cum hoc ei cura non fuerit, haud mirandum, quod judicatus sit juxta regulas a S. Augustino observatas, in censura operum & dictorum Pelagii, de quibus cap. 2. §. 1.

XXVI. Auctor Theologiae Suppl. a pag. 209. ita loquitur, ac si haec propositio catholica haberi posset, casu quo Quiesnellus alibi dixisset, Christum sufficienter pro reprobis mortem appetisse: Nn 2 vel,

(1) 1. p. q. 36. ar. 2. ad 2. (2) Cap. 62. v. 2. (3) In 4. dist. 3. ar. 2. q. 1. ad 2.

vel aliquam intentionem habuisse. ut reprobis mors sua proderet. Sed neutrum sufficiebat; cum Janenius ultro fateatur primum, & amplius: (1) Pro demeritis, inquit, redimendis sine dubio premium sanguinis ejus est sufficiens: secundum vero admittebat etiam Auctor quartæ prop. ab Alex. VIII. damnata, & tamen utriusque propositio de morte Christi damnata est. Nihil ergo ista Quesnellum juvare poterat. Adducit deinceps varias SS. PP. auctoritates, quas exponere solemus, de voluntate Christi absoluta & efficaci. Sed præterquam illi SS. PP. alibi se clarus (prout in præced. §§. ostensum est) explicent; non eadem cum illis mensura metiendus Quesnellus venit: nisi scripta Lutheri et sua pathmo, Calvinie Genevra, Pelagii ex Palestina, quo ille Augusta, alter e Gallia, tertius Roma, ne suos cogentur deserere errores, auferantur, eadem reverentia, qua SS. PP. scripta, tractare velimus. Legat Augustini librum De gratia Christi, ibique discat, suspectorum, accusatorum, convictorum ac damnatorum hæresis scripta exponendi modum. Legat libros De præd. SS. & De no. persever. eundem ibi quoque reperiet. Ac ne diu querere cogatur, subministrabo specimen aliquod. Quidam e SS. Patribus Augustino antiquioribus uti fuerant nomine præscientie, non prædestinationis: eo nomine etiam Massilienses utebantur, non tamen eodem modo utrorumque dicta Magnus exponit Augustinus. De SS. PP. ait lib. cit. (2) c. 19. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei Præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? At vero de Massiliensium præscientia agens, asserit, idem esse, Deum præcisisse aliorum vel fidem, vel fidei initium, ac deinde eos elegisse, ac dicere, eos a se ipsis fidem & electionem habere: quod ex toto libro De prædest. SS. nominatim e cap. 9. colligi potest. Sic dicimus catholici: Quid prohibet, quando apud aliquos SS. PP. legimus nullam perire pro quo Christus mortuus est, & agitur de prædestinatis, dicta illa interpretari de voluntate absoluta? Verum, cum de Quesnello agitur, fidelissimo Janenii discipulo, imo totius factionis capite, eadem regula uti, recta ratio, jura, exemplum Augustini prohibent, verantique Sancti Patres haud dubie profitebantur Nicænam fidem, atque cum maxima cordis teneritudine ac gratitudine recitabant verba illa: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem. Ecce Pete a Janenii discipulo, an sincere credat Christum suum esse redemptorem? Videbis hominem misere se torquentem, aut dubie respondentem audies. Hujus rei exemplum dat nobis epistola relata ab Ex. D. Steyart, (3) quam hic adjungere, operæ pretium esse duxi. Scripta est a Doctore Catholico ad Licentiatum de Janensismo suspectatum.

XXVII. ERUDITISSIME DOMINE. Cum intelligam D. V. alibi procul inquirere, quid de tua fide circa Redemptionem Christi me fuerat auctore vulgatum: hisce literis D. V. significandum duxi, suspectam & suspectam esse inquisitionem illam tuam contra Lovanium, cum hic me præsentem habeas, qui tibi ante institutam istam inquisitionem obtuli in Hallis (4), etiam per Notarium quem jactabas mittendum ut me interrogaret, plene referre quid de tua fide nuntiaverim. Nunc vero ne te vel alios frustra fatiges, totam rei feriem commemorabo. Ante biennium die vado (sic memini) nivosi, inter collegia . . . me stitisti in platea, & questus de suspensa, vel adempta tibi facultate sacras confessiones

excipiendi, blande & enixe rogabas, ut apud Illustrissimum D. Archiep. nostrum intercederem, quo tibi restituere prædicta facultas. Ego respondi: Licet de precum meorum successu magnopere dubitarem, & religio tamen daturum me tibi attestacionem mea manu descriptam, qua cunctis declararem non esse te Janensistam, neque eo nomine debere manere suspensum a prædictis facultate, si huic articulo subscriberes: Ego fide divina credo D. N. Jesum Christum esse Redemptorem meum, seu, pro salute mea mortuum esse. Tu quidem subridendo respondebas: Quis dubitat? Ego ingenue me dubitare, an id crederes: & per manicam attrahere, ut ingredereris collegium . . . tibi & tua de illo articulo fides, & mea de fide tua declaratio & attestatio scripto signarentur. Tu vero requisitum prestare absolute recusasti, & a petita intercessione urgenda desistere, quam præfato articulo subscribere maluisti. Illa recusacione tua, qua rem tam facilem & equam prestare noluisti, cum servire tibi possat ad obvinendum quod vehementer desiderabas, firmatum est iudicium meum de tua tuorumque Symonistarum fide non bona: & ad evolvendam irridiam, que Illustrissimo D. Archiep. N. ob revocatas vel suspensas tuas, & quorundam aliorum facultates constari poterat, libere diveris narraui, quod inter te & me gestum fuerat . . . Habes ergo me sparsi de te rumoris auctorem paratum satisfacere, si candidè presles, quod iustissime postulat. Expectans celarem & apertam atque sinceram responsionem tuam, maneo.

Lovanii die XI. Martii 1698.

ERUDITISSIME DOMINE.

Eruditissime D. V. ad quevis obsequia congrua paratissimus famulus N. N. S. T. D. & Prof. Reg.

§. I V.

Propositio Quesnelliana, censura notata.

Prob! quantum oportet bonis terrenis, & sibimet renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat, sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Est 33. Quesnel. ad Galatas 2. v. 20.

XXVIII. Est qui existimat Quesnellum hac propositioe docuisse, renunciationem terrenorum bonorum, per voluntariam pauperatatem, esse necessariam ad hoc, ut fiduciam habere possimus, nobis appropriandi Christum, ejus amorem, mortem &c. sicque revocasse olim damnatas hæreses Apostolicorum, Fraticellorum &c. Sensus hunc præ oculis habuisse videret Auctor Theol. supplicis, dum annotationem suam ita ordit: (5) Id unum, quantum conjicere licet, in ea propositioe censura dignum visum est; quod si soli, qui bonis terrenis, ac sibimet ipsis renuntiaverunt, fiduciam habere posse dicantur, applicandi sibi Christi Domini mortem, ejusdemque amorem: quasi & alii fiduciam illam habere non possint, ac eriam debeant. Non distinguendo inter renunciationem quoad affectum, & quoad effectum, facilius prior ille sensus subrepre potest. Forget quidem, non abnoo, propositio illa damnabilis, si ita intelligatur; immo a ntiquam excitarer hæresim.

resim: verum hunc esse obivum sensum Quesnellianæ propositiois non video. Ecquis enim existimet voluisse Paschasum eripere fiduciam salutis omnibus illis, qui voluntariam non voverint pauperatatem? Hoc enimvero fuisset se ipsum (nunquam enim quod sciam, Quesnellus tale votum emisit) omni salutis fiducia privare: & solos religiosos pauperatem professos, quibus Quesnellum & fotios parum affectos scimus, ea fiducia donare. Alius ergo, nec unicus, huic propositioi, sensus damnabilis, obivus tamen, subest; quem, vel quos respexisse Clementem XI. in illius damnacione, dubitari non potest.

XXIX. Sensus ergo naturales & obvii hujus propositiois, ut contenta in libro, quo simul continentur propositioes hucusque expositæ, hi sunt: I. Fiduciam, qua quis sibi veluti appropriat amorem, mortem, & mysteria Christi, fundari, non in fide divina de Christo pro omnibus passo & mortuo, sed in christiana renunciatione bonorum terrenorum & sibimet ipsis. II. Fiduciam illam tantam esse, quanta fuerit hæc renunciatio. III. Hanc fiduciam nunquam (sepono revelationem divinam) in hac vita esse certam posse. IV. Legitime sequitur, ex hac propositioe, nullam esse spem Theologicam in peccatoribus, imo nec etiam in iustis, seclusa revelatione: qui sensus omnes, ut negabit nemo catholicus, vere sunt damnabiles: igitur solum probandum est, hos esse legitimos hujus propositiois sensus.

XXX. Probatur primum. Nam fiducia, quam mihi ipsi quanto approprio amorem, mortem & mysteria Christi, in fide divina minime fundari potest, si fide eadem non teneo, Christum pro me mortuum fuisse. Porro hoc fide tenere nullus potest, in principiis Quesneli; qui, ut in præcedentibus visum est, sustinet, falsum esse Christum pro omnibus omnino, nullo excepto, mortuum esse aut sanguinem sudisse: igitur nullus, citra revelationem, credere fide divina potest, pro se mortuum esse Christum; quippe fidei divina nequit subesse falsum; falsum autem esse potest, si Quesnello credimus, pro me mortuum esse Christum; adeoque fide divina tenere hoc non possum. Fiducia ergo mea, si quam habeo, non ex fide, sed aliunde, scilicet, ex christiana bonorum temporalium, & meimet ipsis renunciatione accersenda est.

XXXI. Ex hoc primo sensu habetur secundus: fiduciam nostram tantam esse, quanta fuerit dicta renunciatio. Sicut enim, quia juxta principia D. Thomæ, spes certitudinem suam participat a fide, eo major est spes & fiducia nostra quo major fuerit nostra fides; ita juxta Quesnellum, quia fiducia nostra fundatur in christiana omnium terrenorum renunciatione, proportionate discutiendum est. Immo, quantum sonat illa propositio, nullam habere licebit talem fiduciam, nisi magnum in nobis sentiamus temporalium contemptum: hinc illa exclamatio: Prob! quantum oportet bonis terrenis & sibimet ipsis renunciasso &c. Nec dici potest cum auctore Theol. suppl. l. c. sermone forte hic esse de fiducia illi eminenti firmissime, & Apostolorum propria; orta scilicet ex peculiari revelatione, qua noverant se ad prædestinatio numerum pervenire, pro quibus speciali quodam modo mortuus est Christus; talem enim sensum nullatenus patitur hæc propositio: tum, quia illam eminentem firmissimamque fiduciam nullus habere potest, citra revelationem; quantumcumque exi-

stimet quis se affectum temporalium & sui ipsius abjecisse: ut nonnulli ineptissime de illa locutus fuisse Quesnellus dici possit: tum, quia non dicit Quesnellus simpliciter: Ut facit Paulus, verum addit: Dicens, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, Gal. 2. Ubi non loquitur Paulus, fretus revelatione Divina de sua ipsius prædestinatione; sed contra, ait Chrysostomus citatus a S. Thoma: (1) Hic est affectus servi fidelis, ut beneficia Domini sibi, que communiter omnibus data sunt, quasi sibi soli præstita reputet: quasi enim de se solo loquens Paulus ita scribit ad Gal. 2. Dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Si ad officium servi fidelis pertinet hæc expressio, teste Chrysostomo, loquitur Paulus divina revelatione seposita. Rufus ergo ineptissime huic loco apposuisset Quesnellus hanc notam, si de apostolica fiducia, revelationi divinæ innixa loqui intendisset: sed potius eam apposuisset Rom. 8. ubi Apostolus ait: Certus sum quod neque mors neque vita. . . poterit nos separare a charitate Dei; que est in Christo Jesu Domino nostro. Nihilominus minus fuisset inepta: quandoquidem per quantumcumque temporalium, & sui ipsius abnegationem, ad eam fiduciam apostolicam revelationi nitentem perveniri nequeat. Imo vero: si id intendit Quesnellus: nimirum, tantam posse esse bonorum temporalium & sui ipsius abnegationem, ut inde homo certus fiat, certitudine illa Apostolica de sua salute, incurrit anathema a Trid. fulminat: (2) Si quis magnam illud usque ad finem perseverantiam donum, se certo habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit, NISI HOC EX SPECIALI REVELATIONE DIDICERIT, anathema sit: Sicque incidit in primas cupiens vitare patellam. Per me ergo liceat Theologie supplicis hoc modo exponere Quesnellum: interim ad sensum superius datum revertor.

XXXII. Ex quo sequitur tertium quod per hanc Quesnellii propositioem indicari, dixi, nimirum, nunquam in hac vita, seclusa revelatione, fiduciam certam haberi posse, Christum pro nobis mortuum esse, & nos ad æterna bona; ad que non pervenitur, nisi per Christum; pervenire posse. Enimvero Quesnellus fundamentum fiduciam nostre consistit in abrenunciatione sui ipsius & bonorum temporalium; non in fide, qua credamus Christum pro nobis mortuum esse aut pretiosum sanguinem sudisse. Porro opera nostra, qualicumque sint, certam nobis fiduciam dare nequeant: nescit enim homo utrum odia vel amore dignus sit. Huic patientissimus Job ait: (3) Si justificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendere, pravum me comprobabit. Et iterum, (4) Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.

XXXIII. Atque hinc jam patet quartum quod ex Quesnellii propositioe sequi dixeram, videlicet, spem Theologicam e medio tolli. Est enim spes, juxta D. Thomam: (5) Certa expectatio futura beatitudinis. . . Et, non imitatur principaliter gratie jam habita, sed divine omnipotentie & misericordie, per quam etiam qui gratiam non habet, eam consequi potest, ut sic ad vitam æternam perveniat. De omnipotentia autem Dei, & misericordia ejus certus est quicumque fidem habet, Catholicam scilicet, non Quesnelliticam: hanc enim fidem sequens, confidere haud potest, ut dictum est, Deum sibi per Christum propitium futurum, cum non credat, Christum pro quolibet homine mortuum esse. His ergo paucis S. Thomæ verbis, quatuor illi, huc usque expositi Quesnell-

(1) Lib. 3. de grat. Salv. c. 20. §. 4. (2) De dono persever. (3) Tom. 2. Opuscul. pag. mihi 201. (4) Scholæ sunt licet. (5) Pag. 209.

(1) 3. p. q. 1. art. 4. arg. 3. (2) Sess. 6. can. 16. (3) Cap. 9. v. 20. (4) V. 28. (5) 2. v. q. 18. art. 4.

nelliana propositionis sensus funditus evertuntur, ut diligenter consideranti patebit. Augustini quoque auctoritate hic error dissipatur. Dicit enim: (1) Quid autem sperari potest, quod non creditur? Quomodo Quenellista spem ac fiduciam habent, se vitam aeternam posse consequi, qui non credunt Christum pro cuiuslibet hominis aeterna salute mortuum?

XXXIV. At enim, inquit Quenellista, quicumque senserit multum se iam renunciaisse bonis temporalibus ac sibi ipsi; ille sperare poterit. Quid ergo de peccatoribus dicit? Nonne hoc est eos in desperationis barathrum adigere? Licet saltem sperare timent. Longe hic aliter Romana id est catholica discurrat Ecclesia, & cum ea S. Thomas, ne peccatoribus quidem spem adimens. (2) Cum enim sibi objecisset textum Augustini dicentis: Si credit & diligit bene agendo, efficit, ut etiam speret. Respondet: (3) Dicendum quod Augustinus loquitur de spe, qua quis sperat ex meritis iam habitis se ad beatitudinem perventurum; quod est spei formatae, qua sequitur charitatem. Potest autem aliquis sperare antequam habeat charitatem: non ex meritis que iam habet; sed que sperat se habiturum. Et 2. 2. q. 18. a. 4. c. Spes certitudinaliter tendit in suam finem, quasi participans certitudinem a fide, que est in vi cognoscitiva. Iterum in resp. ad 3. Dicendum, quod hoc quod aliqui habentes spem deficiant a consecutione beatitudinis, contingit ex defectu liberi arbitrii ponentis obstaculum peccati; non autem ex defectu divinae potentiae, vel misericordiae; cui spes innititur. Unde hoc non praedicit certitudinem spei. Spes autem Quenelliana fidei non innititur: quia non credit quidem Deum per Christum velle omnes homines salvos fieri: acciditque secundum ipsum, ex defectu divinae misericordiae, nedum liberi arbitrii, quod homo deficiat a consecutione beatitudinis. Quamobrem cogitur, ut aliquam spei suae conciliet certitudinem, ad renunciationem bonorum temporalium, & sui ipsius confugere.

XXXV. Observandum ergo Quenellum, licet in multis cum Lutero, aut saltem Calvino conveniat, hic tamen in oppositum ab illis visse errorem. Calvinus replevit suos discipulos presumptione, idem fecit Lutherus. Quenellus desperatione. Primus, dum variis locis asserit, velle Christum fideles a metu damnationis securos esse. Imo 4. inlit. cap. 17. n. 2. hanc bellam profert doctrinam: Nobis secure spondere audemus vitam aeternam nostram esse... nec regnum colorum... posse magis nobis excidere, quam ipsi Christo. Quem imitans Tindalus apud Foxum ait: (4) Non potes damnari, nisi Christus damnetur; nec Christus salvari, nisi tu salveris. Quenellus vero cum suo, Prob! quantum oportet bonis terrenis & sibi met ipsi renuntiaste, ad hoc ut quis fiduciam habeat &c. omnia replet terrore ac desperatione. Quotusquisque enim est, qui ad talem temporalium, & sui ipsius renunciationem pertingat, ut inde concludere possit, Christum pro se mortuum? Imo audebit ne dicere Quenellista, homines eo pertinere posse, ut ex sua ad temporalia indifferentia, & sui ipsorum abnegatione, certa cum fiducia, qua spei christiana propria est, sibi possint quasi appropriare Christum, ejus amorem, mortem, aliaque mysteria UT FACIT PAULUS, dicens: Qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me? Aut si hoc audeat affirmare, quid de peccatoribus dicit, qui in se nullam sui ipsorum & bonorum terrenorum renunciationem sentiunt? illos profecto a desperatione vix ac ne vix quidem salvabit. At-

(1) Enchir. cap. 8. (2) Lib. 1. de doct. Chr. c. 37. (3) 1. 2. q. 62. ar. 4. ad 2. (4) In Actis ed. 1610. pag. 1137. (5) A. 4. 158. col. 4. (6) Fol. 159. col. 3.

REFLEXIO SECUNDA.

auctoritate Sacrae Scripturae Sapient. 7. Spiritus Sanctus est suavis, benignus, stabilis, certus, & securus, scilicet in se, & effectivus: agitati vero ad taliter currendum, neque suavitatem sentiunt spiritus, neque benignitatem, neque stabilitatem contra praesentia mala, neque certi & securi sunt de veritate. Sed e contrario sentiunt quandam amaritudinem & gravem tentationem spiritus. Instabilitatem & incerti, trepidi, stentes & ULULANTES & manibus trementes; neque de his aliquam rationem reddere valentes. Quare deinde idem Auctor pag. 162. col. 2. Quid possit hujusmodi impetuosis, seu impulsivis cursus significare? Et addit: Respondet specialiter R. P. Nolter Joannes Dorsten, quando determinavit contra similem cursum impulsivum, qui agebatur ad Wilzenach Anno Domini 1475. dicens: Quando quaeritur cur quid significet cursus iste? Respondetur primo, quia Deus sibi soli reservavit certam notitiam futurorum contingentium, igitur ipse invocandus est, ut illuminet ad cognoscendum peccata, & adjuvet ad vitandum. Revelat autem futura aliquando specialiter & determinate: aliquando in genere; ut, cum transgressoribus comminatur poenas; & hoc frequenter fit per prodigia, quae sic dicuntur, quasi proculdicens, etia, scilicet, ventura. Potest autem considerari cursus iste quintupliciter, prosequitur idem Auctor ibid. col. 3. Primo ut prodigiosus & insolitus... & ut sic, significat aliquam plagam venturam; sicut dicit Grosius historiographus, & alii Scriptores, quod frequenter post prodigia, & insolita, sequitur aliqua plaga... Secundo consideratur iste cursus ut multitudinis, quia valde multi currunt & ut sic, significat mobilitatem seu mutabilitatem animorum, & inconstantiam mentis, nunc in hominibus... Tertio ut, multitudinis rudis & simplicis, hoc est puerorum & plebeiorum indoctorum; & sic timidus est aliquis error, vel deceptio futura. Adversarius enim, intendens superfeminare zizaniam erroris, colligit & disponit materiam susceptibilem seminis mali... Quarto consideratur, ut currunt impetuose, sine deliberatione, turbantes ordinem Sanctae Ecclesiae; currentes contra obedientiam majorum; & hoc modo significare videtur aliquam subitamurbationem venturam, non modicum perturbantem ordinem Sanctae Ecclesiae. Nec incredibilis est ista significatio. Cum enim Ecclesia bene ordinata, sit terribilis Diabolo, ut castrorum acies ordinata; nihil tantum impugnat nictur in Ecclesia, sicut ordinem; qui post Christum est summum bonum in Ecclesia. Quinto consideratur iste cursus quoad locum, vel terminum, ubi a multis referuntur multae deceptiones quaestus causa fieri, circa venerabile Sacramentum. Et secundum hoc timendum est, quod significet specialiter alique errorum circa venerabile Sacramentum futurum ex Bohemia, vel aliunde. Haec praefatus Auctor. Porto notandum, quod explicatio primo data sit ante ultimas turbas Hussitarum in Bohemia: secundo, ante turbas Lutheri in Germania. Finiatur tandem hoc Parergon cum paragrapho, verbis Quenelli 2. Thess. 2. v. 9. in qua fortuito, aliud quaerens incidi. Quam iustum est, Domine, ut qui verbo tuo & miraculis tuis sunt increduli, ac rebelles Regno Amoris tui, tradantur illusori salforum miraculorum, & tyrannica potestate Sa-

XXXVII. Non sat accurata idea voluntatis beneplaciti & signi; antecedentis & consequentis in hos, circa voluntatem Dei & mortem Christi pro salute omnium omnino hominum, Jansenii & Quenelli errores facile insuere potuit. Crediderunt illi voluntates istas ita distingui, ut una alteram excluderet. Hinc pro statu innocentiae non admiserunt nisi voluntatem beneplaciti, generalem, indiscretam, & communem, ex qua promanarint & promanassent, si status ille durasset, auxilia tantummodo sufficientia, ad salutem; qua scilicet, a cuiuslibet hominis voluntate, absque ullo ulteriori auxilio reddi possent efficacia sicut inefficacia. Econtra, pro statu naturae lapsae non nisi voluntatem specialem, discretam, solis praedestinati auxiliium solum efficacia, imo necessitatem imponentia, caeteris vero, aut nihil omnino gratiae, aut non sufficientem ad salutem gratiam conferentem agoverunt. Utinam S. Thomam consulere voluissent, ac ejus doctrinam acquirere! Hic S. Doctor voluntates istas ita discrevit, ut tamen unam cum altera sepiissime coincidere, unam & alteram ad statum naturae lapsae sese extendere fateatur. Loca varia S. Thomae, ex quibus haec doctrina eruitur, jam in antecedentibus adduximus; hic addendus venit unus; sed, ni fallar, urgentissimus, ad ostendendum voluntatem salvandi omnes homines post peccatum Adami, necessario esse debere beneplaciti, si velimus, quod absit, Deum esse mendacem. Desumitur ex art. 3. quaest. 23. de veritate ad 2. argumentum. Praetendebat argumentum, quod signum divinae voluntatis foret falsum, si id, in quo fertur, non sit placitum Deo; nihil autem falsi poni debere in doctrina veritatis; adeoque nec voluntatem signi, quae non sit beneplaciti. Resp. S. Thomas. Voluntatis signi (tantum) non pro tanto dicitur, quia significet Deum velle illud, (in quo signum fertur) sed quia id quod solet esse signum voluntatis apud nos, voluntas nominatur. Non autem oportet ut id, quod SOLET esse alicuius rei signum, sit falsum, quando ei non respondet id quod SOLET significare; nisi tunc TANTUM, quando ad significandum illud adhibetur. Quamvis ergo praecipere in nobis sit signum volendi illud, non tamen quancumque praecipit aliquid vel Deus vel homo, oportet quod significet se velle illud esse. Unde non sequitur quod (sempet) sit signum falsum (praecipere, sed tunc tantum quando sic praecipitur, ut simul praecipiens significet se velle illud esse, & tamen non velit illud esse) Et inde est (nota) quod in ACTIBUS non semper est mendacium, quancumque aliqua actio agitur, per quam SOLET aliquid significari, si illud (quod BOLE significari) non subsistit. Sed in VERBO, si non subsistit illud quod significat, de NECESSITATE est falsitas; quia scilicet verba ad hoc sunt INSTITUTA ut sint signa; unde si non respondet eis significatum, est ibi falsitas: actiones autem non sunt ad hoc instituta, ut significet, sed ut aliquid per eas fiat; accidit autem quod per eas aliquid significetur.

XXXVIII. Ex hac S. Thomae doctrina sequitur, quod si aliud nihil haberemus in Scripturis quam praecepta annuntiandi omnibus gentibus Evangelium, consilia orandi pro omnibus omnino hominibus, prohibitionem de non dando ulli hominum aliquid scandalum, quae sunt signa divinae voluntatis salvandi omnes homines, nullum foret, ex hac parte, inconveniens, dicere, quod voluntas omnes salvandi, non sit beneplaciti; quia hujusmodi praecepta, consilia, prohibitiones, sunt actiones non per se significantes formaliter, Deum velle.

(1) Enchir. cap. 8. (2) Lib. 1. de doct. Chr. c. 37. (3) 1. 2. q. 62. ar. 4. ad 2. (4) In Actis ed. 1610. pag. 1137. (5) A. 4. 158. col. 4. (6) Fol. 159. col. 3.